

Universitätsbibliothek Wuppertal

**PLVTARCHI||CHAERONENSIS,|| SVMMI PHILOSOPHI|| &
Historici,|| VITAE PARALLELAE,|| seu Comparatæ,||**

Cui subiecti sunt Indices tres ... ad commodum lectoris summa diligentia
confecti

Plutarchus

Francoforti ad Mœnum, 1592

Aratus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-360)

Id propter Lapum annoto, qui cum hoc non animaduertet, perperam ad regem transtulit.

PLVTARCHI ARATVS, GVILIELMO
Xylandro, Augustano, interprete.



NTIQVVM quoddam, Polycrates, prouerbium videtur mihi Chrysippus philosophus, ne eius inuisa plerisque sententia aures offenderentur, non ita vt erat, sed vt commodius ipsi videbatur protulisse:

Anne suum laudet patrem, nisi prospera proles?

Paremia Quem redarguens Dionysodorus Træzenius, verum ad-
explicatio. gium ipse exponit, cuius hic est sensus:

Anne suum laudet patrem, nisi non bona proles?

aitque eorum ora hoc dictorio obturari, qui cum ipsi per se nullius sint precij, maiorum suorum in laudes subrepant, in ijsque prædicandis sint nimij. Enimvero cui generosa indoles à maioribus (vt ait Pindarus) innata est, vt tibi: ei, si ad pulcherimum exemplum domesticorum vitam suam componere instituerit, in felicitatis parte ponendum est, si maiorum suorum, qui virtute alijs antecelluerunt, memoriam colat, & perpetuo aliquid de ijs vel audiat, vel loquatur. non enim propriorum bonorum penuria suam estimationem ab aliorum gloria ille suspendit: sed maiorum suorum virtutibus suas actiones annectens, vt generis, ita etiam vitæ factorumq; suorum autores & duces eos prædicat. Itaq; & ego Arati, cuius tui, & progenitoris, quem neq; gloria tua, neque potentia dedecoras, vitam à me consecratam ad te mitto. non quoddam nesciam, iam pridem omnes tibi eius viri actiones accuratissime cognitæ: sed vt filij tui Polycrates & Pythocles domesticis exemplis innutrientur, ea cum legentes tū audientes, quæ imitari ipsos conuenit. Sui ipsius enim nimium admiratorem, non honestatis studiosum iudico eum, qui seipsum ubiq; optimum ac præstantissimū iudicat. Sicyoniorum ciuitas, cum primum mera illa & Dorica optimorum in repu. dominatio tanquam concinnitate sonorum dissipata, in seditiones & contentiones popularium oratorum incidit, perpetuis tumultibus agitata laborauit, aliumque post alium subinde tyrannum pertulit:

Resp. Sicyo
1140. 1141.

ruit: donec Cleone occiso, ad Timoclidam & Cliniam,
 viros præcipuè nobiles, & inter ciues potentia primos ab
 ipsa ciuitate summa rerum est delata. Cum iam constituta
 non nihil videretur resp. Timoclidas moritur: Abantidas au-
 5 tem Pasei F. tyrannidem affectans, Cliniam occidit, eiusq;
 amicos & necessarios partim necat, partim vrbe pellit. Filiū
 quoq; Clinix Aratum septennem puerum ad eadem quæ-
 rebat: sed is in domestico tumultu vna cum reliquis profu-
 gerat, inq; vrbe oberrans metus plenus & auxilio destitutus,
 10 forte fortuna in scijs omnibus in domum Sosūs peruenerat,
 quæ soror Abantidæ, Prophanto Clinix fratri vxor erat. ea
 vt erat generosæ indolis mulier, diuinitus ad se delatum
 puerum existimans, domi occultatum, noctu Argos emi-
 sit. Ita furtim neci periculoque subtractus Aratus, iam tum
 15 graue illud & feruens in tyrannos odium, quod paulatim
 accreuit deinde, concepit. Liberaliter educatus Argis apud
 hospites amicosq; paternos, cum bonam corporis sui af-
 fectionem vigere, & ad magnitudinem adollescere sentiret,
 exercitationi palæstricæ se tradidit: & quidem certauit et-
 20 iam quinquertio, ac coronam ineruit. Sanè etiam in statuis
 eius athleticum quiddam apparet: vultusq; regius & pru-
 dentiam præ se ferens non omnino tamè voracitatis athle-
 ticæ & lagonis videtur vsus negare. Eo factum est, vt par-
 ciùs fortassis quā viro in rep. versaturo conueniat, artes di-
 25 cendi coluerit. quanquā cultior quidem fuerit, quā quidam
 putauerunt, ex commentarijs eius iudicium facientes: quos
 ille obiter & raptim inter agendum quibuscumque obuijs
 vocabulis conscripsit. Aliquanto pōst tempore Dinias &
 Aristoteles dialecticus Abantidam, qui eorum disputatio-
 30 nibus atq; commentationib. in foro interesse, vnaq; dispu-
 tare solebat, in eam consuetudinē pertractum, compositis
 insidijs necauerunt. Paseam quoq; Abantidæ patrem, cum 4
 is tyrannidem excepisset, Nicocles per dolum interfecit, &
 se tyrannum Sicyoniorum constituit. Hunc Nicoclem for-
 35 ma similitū fuisse Periandro Cypseli F. perhibent: vt Oron-
 tē quoq; Persam Alcimæoni Amphiarai F. & Hectori Lacedæ-
 monium quendam adolentem: quem Myrsilus narrat
 cum id vulgus rescruisset: à spectatum venientem turba
 conculcatum perijisse. Quartum iam mensem tyrannidem
 Nicocles gerebat, quo tēpore multa vrbi maleficia intulit,
 parumq;

5 parumq; abfuit, quin eam Ætolorum fraude amitteret: cum
 Aratus iam adolefcens ob nobilitatem generis animiq;ue
 magnitudinem, quæ nequaquam ociofa aut vilis, fed gra-
 uis, prudentiaq;ue etiam præter ætatem munita apparebat,
 cœpit in magna eſſe autoritate. Itaq; & exules Sicyonij ma-
 ximè ei animum aduerrebant: & Nicocles nequaquam ea
 quæ gerebantur negligebat, fed conatus eius occultè ſpe-
 ctabat atque obſeruabat: nihil quidem tale auſurum, aut
 tam periculofum facinus aggreſſurum, fed colloquia cum
 cum regibus, quos amicos habebat hoſpitesq;ue paternos, 10
 agitare ſuſpicans. Et verò ea via aggredi rem Aratus inſti-
 tuerat. Sed cum & Antigonus multa pollicitus occaſionem
 temporis, remq;ue totam negligeret, & Ptolemæus Ægy-
 ptusq;ue, vnde ſpei aliquid erat, longiùs abeſſent: ſtatuit per
 ſeſe tyrannum euertere. Primis Ariſtomacho & Ecdelo ani- 15
 mi ſui ſententiam expoſuit. Ariſtomachus Sicyonius exul
 erat: Ecdelus Arcas Megalopoli oriundus, philoſophus, re-
 6 busq;ue agendis aptus homo, qui in vrbe Arceſilaum Acade-
 micum audierat. Cum hi alacriter inſtitutū probaſſent, rem
 cum reliquis etiam exulibus communicat. Pauci horum, 20
 pudore deſerēdi tanti conatus mori, ſocios ſe facinori præ-
 buerunt: plerique etiam conati ſunt inhibere Aratum, quaſi
 imperitia rerum ferocientem. Cum deliberaret de loco ali-
 quo Sicyonię occupando, quo belli aduerſus tyrannum ge-
 rendi receptaculo vteretur, commodū Argos venit Sicyo- 25
 nius quidā è carcere elapſus, Xenoclis frater, vnus de exuli-
 bus. Is à fratre ad Aratū adductus retulit, muri partem, qua
 ipſe euafiſſet, intus propemodum planam eſſe, locis ſaxoſis
 & ſublimibus contiguam: foris eam eſſe altitudinem, ad
 quam ſcalis euadere liceat. Id cum audiuiſſet Aratus, cum 30
 Xenocle duos ſuorum famulorum mittit Seutham & The-
 nonem, qui murum cōtemplarentur. ſtatuerat enim, ſi qua
 ratione id fieri poſſet, occultè & ſemel potiùs totam rem in
 diſerimen mittere, quam priuatus ipſe contra tyrannū lon-
 go bello, & apertis certaminibus contendere. Reuerſus cum 35
 famulis Arati Xenocles, meſuram muri attulit, indicauit-
 que loci naturam eam eſſe, vt conſcendi haud ſumma cum
 difficultate poſſit: magni autem eſſe laboris eò accedere
 propter hortulani cuiuſdam canes, paruos quidem, fed op-
 pido acres & implacabiles. Proinde ſtatim negotium ag-
 greſſus

gressus est Aratus. Arma vt facillè pararet, consuetudo effiebat: cùm ferè omnes tum homines furtis & incurfionibus mutuo infestarentur. Scalas Euphranor faber machinarum, ipse quoq; Sicyonius exul, palam construxit, suspicionem artis professione amoliente. Viros amici Argui singuli de paucis denos præbuerunt: ipse de suis famulis triginta armavit: mercede etiam opera Xenophili prædatorum ducis milites non ita multos conduxit, apud quos rumorem sparserat, in Sicyoniam se ducturum equarum remigiarum abducendarum gratia. Plerique alij post alios ad Polygnoti turrim præmissi sunt, ibique iussi expectare. Præmissus etiam est Caphesias expeditus cum quatuor alijs, qui se viatores simularent, & sub noctem ad hortulanum intrarent, ibiq; pernoctantes, ipsum & canes occluderent. nam alioqui aditus non dabatur. Scalas autem, vt erant dissolubiles, in modios frumentarios imposuerunt, itaque occultatos carris prouexerunt. Interim conspectis quibusdam Nicoclis exploratoribus Argis, qui clam circumire & obseruare Aratum ferebantur: interdiu in publicum progressus Aratus se ostentauit, inque foro cum amicis commoratus est. vnctus deinde in gymnasio, ex palæstra secum abduxit domum adolescentes quosdam, secum bibere & genio indulgere solitos. paulo post in foro visi sunt famuli eius, alius coronas ferens, alius faces emens, alius cum mulierculis quæ psallere & fistula canere in conuiuio solent, colloquēs. Hæc omnia exploratores cum cernerent, decepti sunt, atq; vnus alteri non sine multo risu. Nimirum, aiebant, nihil timidius est tyranno, quando Nicocles etiam tantam urbem possidens, tantasq; copias, sibi ab adolescente metuit, viatica sui exilij in voluptates & conuiuia diurna insumente. atque ita decepti, discesserunt. Statim à prandio Aratus Argis profectus, ad milites iuxta turrim Polygnoti venit: indeque Nemeam duxit. ibi consilium suum vniuersis aperuit: eosq; adhortationibus & pollicitationibus cùm confirmasset, tesseram dedit Apollinem propiciam, ac versus Sicyonem duxit. ad motus autem lunaris rationem sui itineris accelerationem accommodauit: ita vt lumine Lunæ ad iter faciendum vteretur, luna iam occidēte ad horrum haud procul muro esset. Ibi ei occurrit Caphesias, occlusum quidem a se hortulanum indicans, canes autem profluisse, neque

Strategema Arati.

com-

comprehendi potuisse. Cum animis pleriq; caderent, & retrò abducere iuberent, bono eos animo esse Aratus iussit, abduciurumq; , si nimis importuni forent canes, promissit. Simul eos qui scalas gestabāt, pramissit, Ecdelo & Mnasticeo ducibus: ipse lento gradu subsecutus est, canibus acriter latrantibus, & iuxta Ecdelum vnà cursitantibus. Is tamē cum suis & peruenit ad murum, & scalæ turò admotæ sunt. Primis murum conscendentibus, matutinarum excubiarū magister, signum abeundi tintinnabulo edidit. ibi cum multæ faces gestarentur, custodesq; murū peruadentes tumultum darent: isti ibi in scalis subsidentes facilè eos latuerunt: cum verò alij excubitores prioribus obuij venirent, summo in periculo fuerunt. Eo etiam cuitato, primi in murū Mnasticeus & Ecdeluseuaferunt: & occupato vtrinq; muri aditu, Technonem ad Aratum miserunt, properare iubentes. Ab horto ad murum & turrim non magnum erat spaciū, qua in turri magnus canis venaticus excubabat. Is muros occupantium strepitum non senserat, siue natura hebes, siue interdiu defatigatus. ab horulani autem canibus infernè latrantibus excitatus, in tūd obscuro latratu respondit: mox appropinquantibus illis, latratū intendebat. iamque totus ille locus latratu canum resonabat, ad eū vt ab altera parte vigil magna voce venatorem percontatus sit, Cur nam ita vehementer canis latraret, & an aliquid insolens accidisset. respondit venator, Nihil esse periculi: canem lumine vigilum, & tintinnabuli sonitu esse irritatum. Id maxime Arati milites confirmauit, existimantes venatorem socium facinoris dedita opera rem occultare, & multos quoq; alios in vrbe negotij conscios atq; auxiliarios esse. Cum ad murum omnes peruenissent, longus erat & periculosus labor, quòd scalæ, nisi vnus post alium adscenderet, concutiebantur: tempus autē moram non ferebat, iam gallis canentibus, & appropinquantibus ijs, qui in forum ex agris res venales portabant. Itaque festinans Aratus, cum ante ipsum Sicyone p. XL. tantum adscendissent, ipse quoque in murum euasit: paucisq; adhuc assumptis, ad domum tyranni, & prætorium contendit, vbi noctem mercenarij milites agebant. Hos subito superueniens omnes comprehendit, occidit neminem: statimq; ad amicos dimisit, qui singulos ad se vocarent. Facto vndique concursu, dies illuxit: eratq; turbæ plenum

Sicyone p.
 1184. Arat.
 1184.

plenum theatrum, animis omnium ob incertum adhuc rumorem suspensis, & eorum quæ agebantur ignaris. donec præco in medium progressus edixit, Aratum Clinia F. ciues ad libertatem vocare: Tum demum credētes ea adesse, quæ iam pridem expectārant, confertim ad tyranni ædes accurrerunt, ignem iniicientes. edita autem est ingens flamma, & Corinthum vsque luxit domus incendium: ita vt qui Corinthi erant mirati quidnam hoc rei esset, parum abfuerit quin ad auxilium ferendū accurrerent. Nicocles per quosdam cuniculos ex vrbe effugit: milites autē & ciues extincto incendio, domū diripuerunt: non hoc modo Arato concedēte, sed & reliquā tyrannorum pecuniam ciuibus in medium proponēte. Nemo omniū vel occisus est, vel vulneratus, neq; Aratianorū, neq; hostiū: sed id facinus fortuna ab omni ciuili sanguine purum seruauit. Reduxit exules, qui à Nicocle pulsi fuerant, LXXX. qui à prioribus tyrannis, haud pauciores quingētis. quin diu multumq; nonnulli etiā per L. annos vagati fuerāt. Pleriq; autē cum redissent pauperes, bona ea, quæ olim possederant, inuadebāt, inq; summas Aratorum difficultates conijciebant. Videbat enim vrbi extrinsecus ab Antigono periculū impendere, libertati eius inuidente atq; insidiante: intus autē turbis eam & seditionibus agitari. Itaq; quod in præsentia factū optimum videbatur, Achæorum eam ciuitati adiunxit: & Sicyonij, cū essent Dorienſes, vtrō in nomē & temp. Achæorū se insinuarunt. Sane neq; autoritas magna, neq; potētia eo tempore Achæorum erat. nā & plerq; eorum vrbes paucis ciuibus frequentabantur, neq; bonū agrum possidebant ad mare habitātes importuosum, & quod plerunq; apud scopulos præruptos terram attingeret. Verū hi maximē tum demonstrant Græcorum vires inexpugnabiles esse, quoties vnanimi ordine ij componantur atq; regantur, & cordatum habeant ducem. quippe cū ne minima quidem essent portio eius quod olim in Græcia vixit robotis, & tunc viribus suis omnibus in vnum collatis vnus alicuius præcipuæ vrbis potentiam nō æquarent: consilio tamen, & concordia, & quia norant virtute præstantissimo absq; inuidia obtemperare, non modò suam libertatem in medio tot vrbiū, tam potentium ciuitatum atque tyrannorum turati sunt: sed & reliquorum Græcorum plurimos in libertatem asseruerunt.

Erat

Erat Aratus natura ciuilis, magnanimus, & ad rem publicam quam priuatam attentior, tyrannorum acerrimus osor, & qui semper amicitiae inimicitiaeque finem commodo publico metiretur. itaque non tam constans amicus, quam hostis mansuetus videtur fuisse, reip. causa per occasionem in
 5 utranque partem se conuertens. neque quicquam magis amabat, quam concordiam populorum, communionem ciuitatum, conciliumque & theatrum vna edens vocem. bello & apertis certaminibus ut non facile audebat, eoque in genere animi erat parum fidentis: ad res furtim gerendas, componendasque
 10 aduersum vrbes & tyrannos insidias aptissimus. Itaque cum multa conatus spe superiora, ea confecisset, videtur haud pauciora, quae effici haud dubie poterant, ob timiditatem omisisse. Scilicet non animalium modo quorundam oculi per tenebras videre possunt, interdum caecutiunt, quod siccitas & tenuitas humoris qui est in oculis cum luce non potest temperari. sed & quorundam hominum calliditas atque prudentia ita est comparata, ut in apertis rebus indiciisque certaminibus facile perturbentur: in occultis autem & abditis rebus gerendis audaces sint. Huius inaequalitatis causa
 20 est in bonis naturis ignoratio philosophiae: cum bona ingenia virtutem absque scientia, veluti fructum sponte sua & absque cultu enatum proferunt. Hae in exemplis deprehendi possunt. Porro Aratus cum Sicyonem Achaiae adiunxisset, inter equites militans charus ducibus, propter obedientiam
 25 fuit. nam tamen plurimum ad rem publicam contulisset, sua patriaeque gloria ad eam accumulata, tamen morigerum se haud minus quam de vulgo aliquis ducibus Achaeorum singulis praebuit, siue ducem Dyme, siue Tritaea, siue aliud humiliter oppidum praebuisset. Dono etiam ei xxv. talenta Ptolemaeus misit. quae ille accepta, ciuibus suis largitus est cum
 30 aliis, tum ad redimendos captiuos pecunia indigentibus. Ceterum ijs qui ab exilio erant reuersi importune tumultuantibus & eos qui bona possidebant vexantibus, adeo ut periculum esset de exitio ciuitatis: in sola Ptolemaei humanitate spem reliquam habens Aratus, statuit ad eum nauigare, & orare, ut sibi pecuniam ad lites istas pacandas suppeditaret. Itaque a Methona prouectus, super Maleam nauigauit, ut breuissimo cursu fretum transiret. sed rectore
 35 a magno vehementique vento, qui ab alto incubuerat, victo cursum

*Liberals.
tas.*

cursum non tenens, agrè ad Adriam eiectus est, qui locus
 hostilis erat, ab Antigonoque præsidio tenebatur. Maturè
 sibi fugà consuluit, militesque hostis euitauit Aratus, ac na-
 ui relicta procul à mari se cum vno amicorum Timanthe in
 syluestrem quendam locum subduxit, noctemque ibi diffi-
 cilem exegit. Paulo post ad nauem præsidij præfectus venit,
 Aratum quærens: quem famuli eius deceperunt, responden-
 tes, vt docti fuerant, statim eum aufugisse, & in Eubœam
 nauigasse. nauim quidem, & quæ in ea vehebantur, ac fa-
 mulos Arati detinuit, hostis bona esse dicens. Post dies non
 multas constituto magnis in difficultatibus Arato, bona
 quadam eius fortuna Romana nauis ad eum locum appul-
 lit, vbi partim speculans, partim latens commorabatur. Ea
 nauis in Syriam ibat: itaque à nauclero impetrauit, vt se vs-
 que ad Cariam veheret. Eò non minoribus tempestatum
 periculis peruectus, inde in Ægyptum multo tempore per-
 uenit, regemq; bene erga se affectum adiit. Iam ante quo-
 que eum missis è Græcia tabulis atque picturis demeruerat
 Aratus. Cùm enim regem ijs delectari sciret, atque ipse eius
 artis haud ineptus esset iudex, subinde aliquid artificiosi ac-
 curatque operis ad eum miserat, Pamphili maximè & Me-
 lanchi picturas eum in finem comparans. Florebat enim
 adhuc gloria Sicyoniæ in pingendo elegantia, quæ sola
 pulchritudinem incorruptam habere iudicabatur. itaque
 Appelles etiam, cùm iam admirationi esset, eò se contulit,
 & talentum pictoribus discendæ artis causa pependit, glo-
 riæ magis, quàm artis eorum societatem captans. Et Ara-
 tus quo tempore Sicyonem liberauit, omnes tyrannorum
 imagines statim sustulit: de Aristрати autem, qui Philippi
 tempore floruit, imagine diu deliberauit. Pictus enim erat
 curru victori insistentis Aristratus à Melantho, omnibusque
 eius socijs, & Apelles quoque operam suam eò contulerat:
 vt quidem Polemo Periegetes narrat. opus erat spectatu
 dignissimum, ita vt artificium animum Arati inflecteret,
 rursusque tamen odium tyrannorum incitaret, vt deleri
 mandaret. Nealcem tum ferunt pictorem, Arati amicum,
 cum lachrymis deprecatum: & cùm non obrineret, dixisse,
 tyrannis, non eorum bonis bellum esse indictum: itaq; vi-
 ctoriam & currum relinquendum. se Aristratū de tabula sub-
 laturum. id cùm concessisset Aratus, deleuit Aristratū Neal-

*Pecunia
Ptolemæi
Sicyone
concordia
facta.*

ces, & palmam, nihil aliud ausus ei operi affingere, in locum eius appinxit, ferunt tamē delecto Aristrato pedes eius infra currum demissos superfuisse. Ob hæc charus Ptolemæo Aratus, congressus cum eo, suiq; edito documēto, magis adhuc in animum eius insinuauit: impetrauitque vt is ciuitatem Sicyoniam e L. talētis donaret de quibus x l. statim numerata secum in Peloponnesum retulit: cetera in portiones diuisa deinceps rex misit. Magnum fuit profecto, tantam ciuibus parare pecuniam, cuius exigua portione accepta a regibus alij duces & oratores patrias suas iniurijs affecerunt, & seruitute premendas illis propinauerunt. Sed maius est, quodd illa pecunia pacificationem & concordiam inter pauperes & diuites constituit, toti q; populo securitatem & salutem. Admiranda etiam animi moderatio in tanta potentia. Etenim cum ad eum plena potestas esset delata res exulium dijudicandi, non recepit in se solum id muneris, sed quindecim collegas adsciuit: magnoque labore & multis negocijs pertractatis confecit tandem, vt amicitia & concordia inter ciues constaret. Ea propter non ciuitas modò honoribus cum meritis decorauit: sed & exules priuatim aream columnam posuerunt, his elegis inscriptam:

10 *Gloria ad Herculeas innotuit & q; columnas
Inclita Virtutis maxime Arate tuæ,
Et tibi pro patria certamina gesta salute;
Factaq; prudenti maxima consilio. 25
At nos in patriam te seruatore reducti,
Cernentes opera sana, laresq; tuæ:
Hanc statuum grata memores tibi mente dicamus
Virtutis signum, iusticiaq; tuæ:
Atq; salutis feros: inter te diue fatemur 30
Insignem superos emeruisse locum.
Nam libertatem gentis, legesq; salubres,
Ociq; alma tuus restituit patriæ.*

*Antigo-
nus Ara-
tum ca-
pti.*

His rebus gestis Aratus, inuidiam quidem ciuium gratia suarum actionum auerit. Antigonus autem rex successum eius iniquè ferens, statuit eum omnino aut amicitia deuincire, & suum facere, aut apud Ptolemæum regem in calumniis adducere. Itaq; cū alijs officijs eum, quanquam non nihil recusantem, affecit, tum Corinthi rem sacram dijs faciens, Arato partes Sicyonem misit. inq; conuiuio, multis

- vnâ cœnātibus, corā omnibus: Existimabam, inquit, Sicyonium hunc adolescentē liberali ingenio pręditū, ac ciuium amantem, nihil præterea: at verō iam mihi idoneus iudex vitæ rerumq; regiarum videtur. Prius enim nos despiciebat, spes suas alibi habens repositas, Ægyptiacasq; admirabatur diuitias, elephātos, & classes, & aulas iactari audiens. nunc, cū intus viderit ista omnia theatricum esse apparatus scenæ inseruientem, totū se ad nos conuertit. amplector itaque eum, & statui eo in omnibus rebus vti, & vt eum vos
- 10 pro amico habeatis volo. Hi sermones ansam inuidis malignisq; hominibus calumniandi præbuerunt, certatimque epistolas ad Ptolemaum miserunt, grauiā Arato & multa crimina obijcientes: quo factum est, vt rex etiam per litteras cū Arato exposlularet. Tantū inuidiæ atq; maliciæ regum
- 15 tyrannorumque amicitias comitatur: quas tamen pleriq; appetunt, magnōq; amoris feruore contrahunt. Ceterū Aratus primū Achæorum dux creatus, oppositam Locridem & Calydoniam populatus est. Bœotis autem cū decem
- 20 victi ab Ætolis Bœoti apud Chæroneam Abœciturum gentis ducem & mille viros amiserunt. Anno insequenti rursus prætor creatus, de recipiendo Acrocorintho consilium agitauit, non tam Sicyoniorum aut Achæorum eare commodo consulens, quam Macedonicum præsidium,
- 25 communem totius Græciæ tyrannidem, inde expellere cupiens, Chares quidem Atheniensis ducibus regis quodam prælio superatis, ad populū Atheniensem scripsit victoriam se peperisse Marathonix sororem. At hanc Arati æctionem haud iniuria quispiam Pelopidæ Thebani, & Thrasymbuli
- 30 Atheniensis, qui tyrannos necarūt, facinoribus germanam dixerit: nisi quodd hoc discrimen est, quodd ille non aduersus Græcum, sed alienigenam & adsciticiū dominū rem gessit. Isthmus duo maria dirimēs, Peloponnesum cætera Græciæ annexit. Acrocorinthus autem mons sublimis est, ex
- 35 media enatus Græcia: cui si imponatur præsidium, omnem contractum, transitum, expeditionem, & negociationes terrestres atque maritimas eorum qui intra Isthmum sunt, cum alijs Græcis impedire ac prohibere potest: dominusque totius Græciæ sit, qui Acrocorinthus præsidio tenet, vt non pro ioco, sed serio potiūs habendum sit Philippi

*Aratus A-
chæorum
dux.*

*Acrocorin-
thus.*

posterioris dictum, Corinthum compedes Græciæ appel-
 lantis. Itaque eius potiundi omnibus studium fuit regibus
 atque principibus. Antigonus autem adeo nihil sibi reli-
 quum fecit, dum dolo (vi enim & palam frustra videbatur
 conaturus) eum domino suo eriperet, ut ea cupiditas nihil
 ab insanissimo amore abfuerit. Etenim cum Alexandrum,
 qui Acrocorinthum possidebat, veneno (ut aiunt) necasset,
 Nicæa autem vxor huius res administraret, arcemque cus-
 todiret: statim filium suum Demetrium, adolescentem
 haud ineptum ad congregiendum cum prouectâ aliquan- 10
 tum ætatis muliere, submisit, dulcemque ei spem nuptia-
 rum cum eo iniecit: filioque tanquam escæ vsus, mulierem
 ita cepit. Quæ cum Acrocorinthum ne sic quidem dimit-
 teret, sed accuratè etiamnum custodiret, simulans id sibi
 curæ non esse, Corinthi nuptias Nicææ cum Demetrio ce- 15
 lebrat, spectacula, & quotidianas comperationes exhibet,
 tanquam qui totum se voluptatibus dedisset, animumque
 ad iocos & ocium remisisset. Cum in theatro carmen amœ-
 baum cantaretur, tempusque præsentiam Nicææ postula-
 ret, eam ipse ad spectaculum vehentem lætica regio mote 20
 ornata comitatus est, gaudentem honore, nihilque mi-
 nus, quàm quod agebatur, suspicantem. Cum autem in via
 ad diuerticulum venissent, quâ semita sursum ducit, Anti-
 gonus eam in theatrum prouehi iubet: ipse valere iussu can-
 tore & nuptijs, ad Acrocorinthum ascendit, præter ætatem 25
 corpore contento. ibi cum portam clausam offendisset, sci-
 pione pulsat, sibiq; aperiri iubet: & qui intus erant, obstu-
 pefacti aperuerunt. Ita potitus arce, non continuit se, quin
 gaudio gestiens biberet in angiportis, & per forum co-
 mes abundus incederet, mulierculas secum fistula canen- 30
 tes trahens, fertaque gerens, obuijsque dextram porrige-
 ret & eos compellaret: senex homo, & tantas rerum exper-
 tus mutationes. Nimirum enim gaudium absque ratione
 & consilio animo accidens magis eum perturbat, æstuq; af-
 ficie, & sui impotem facit, quàm vel dolor vel metus. Anti- 35
 gonus ergo Acrocorintho ita ut dixi potitus, ijs quibus ma-
 ximè fidebat custodiendum tradidit, præsidioque Persæum
 philosophum præfecit. Aratus autem, cum viuentem etiam
 num Alexandro potiundi Acrocorinthi consilia agita-
 set, Achæis cum eo scædus paciscentibus à proposito desti-
 terat.

terat. tunc aliam tentandæ rei occasionem talem nactus
 est. Erant Corinthi quatuor fratres, Syri natione, quorum *Occasio-*
 vnus, nomine Diocles, in arcæ miles mercenarius erat: tres *ies capien*
 autem reliqui aurum regis suffurati, Sicyonem ad Ægiam *di Arato*
 5 argentarium detulerunt, quo propter institutum vitæ ut- *oblata.*
 batur Aratus. apud eum partem auri statim vendiderunt,
 reliquum vnus ipforum Erginus paulatim accedens pecu-
 nia commutabat. Atque is ita familiaris Ægiæ factus, ab ip-
 10 soque deductus ad mentionem præsidij in arcæ collocati,
 retulit, se, cum ad fratrem in arcem per præcipitia adscen-
 disset, animaduertisse rupturâ quandam montis obliquam
 eò perducere, quâ humilima muri, qui arcem cingit, pars ædi-
 ficata esset. Per iocum tum Ægiæ dicenti: Siccine ergo inepte
 homo paruuli auri causa regis res præfertis atq; prædicatis?
 15 cum liceat vobis vnus horæ maximû reportare præmium.
 an nescitis tam furibus quàm proditoribus, vbi semel de-
 prehensi fuerint, moriendum esse? Ridens ad hæc Erginus,
 promisit se ea de re animum Dioclis (nam cæteris se fidem
 non admodum habere) tentaturum. Paucis post diebus re-
 20 uersus, pollicetur Arato, se eum eò ad murum perduciturum,
 vbi xv. pedibus non sit altior: & in tota re conficienda se v-
 nâ cum Diocle ei auxilio futurum. vicissim Aratus, si nego-
 cium successisset, sexaginta ijs talenta daturum stipulatus
 est: sin secus caderet, vnâ tamen cum eis incolumis euade-
 25 ret, vtrique domum & talentum. Cum autem ista x. talenta
 Ergino deberent apud Ægiam deponi, & Aratus tantum pe-
 cuniæ non haberet, neq; mutuum sumendo cuiquam suspi-
 cionem sui instituti præbere vellet, pleraq; pocula, & aure-
 um vxoris mundum Ægiæ eius pecuniæ causa attulit, & op-
 30 pignorauit. Tanta erat hominis magnanimitas, tantaque
 honestarum actionum cupiditas, vt sciens Phocionem & E-
 pammondam Græcorum iustissimos & optimos propterea
 creditos, quod magna dona reiecissent, neque pecuniam in
 rebus bonis iudicassent: ipse sibi in eam rem impendenda
 35 occultè sua duxerit, in qua pro vniuersis, & quidem id igno-
 rantibus, se in periculum mitteret. Quis enim non admire-
 tur, & quasi adiuuare cupiat magnanimitatem hominis?
 qui tantum periculum tanta vi pecuniæ sibi parauerit, &
 quæ preciosissima in re domestica iudicatur pignori oppo-
 fuerit, vt noctu in medios hostes clam deductus, pro vita sua

Periculū.

dimicaret, nulla nisi præclari facinoris spe proposita. Periculosa per se rem, periculosiorem error fecit ab initio per
 Technonem, misit ut una cum Diocle murum specularetur. Is autem Technon de facie Dioclem non nouerat, formam
 tamen eius videbatur percepsisse, Ergino referente, crispo
 esse eum capillo, nigro & imberbem. Ergo cum ante urbem in loco, qui Ornus (hoc est auis) dicitur, uti compositum
 erat, Erginum cum Diocle se conuenturos expectaret: fortè
 tū Dionysius maximus natu inter fratres Dioclis, eiq; forma
 similis, sed neq; socius, neq; conscius omnino proditi-
 nis, eò venit. Motus formæ similitudine Technon, percon-
 tatur hominem, ecquid ei rei cū Ergino esset: cumq; is fra-
 trem eius se esse responderet, omnino pro certo habens se
 cū Diocle colloqui, neq; nomine eius quæsto, neq; villo alio
 indicio expectato, statim dextram ei iniicit, ea quæ sibi
 cum Ergino erant composita refert, vicissimq; sententiam
 eius exquiri. At Dionysius errorem eius dissimulans astute,
 omnibus annuens, nihil mali suspicantē inter colloquen-
 dum retro ad urbem abducit. Cū iam propè eò deuentum
 esset, ut comprehenderetur Technon, Erginus iterum bona
 quadam fortuna ei occurrit, erroremq; & periculum sen-
 tiens, Technoni ut fuga se eriperet nutu indicat. atque ita
 uterque cursu se proripuit, & ad Aratum euasit. Neque verò
 Aratus ahimum propterea despondit: sed statim Erginum
 misit, qui aurum Dionysio afferret, & oraret uti taceret. idq;
 & fecit Erginus, & Dionysium secum adduxit: quem illi ne-
 quaquam dimiserunt, sed vinctum in conclauis quodam as-
 seruauerunt: ipsi ad rem gerendam se parauerunt. Omnibus
 iam instructis, cæteros in armis noctem exigere Aratus ius-
 sit: ipse cum cccc. electis militibus, quorum pauci quid
 rei gereretur nouerant, iuxta fanū Iunonis ad urbem duxit.
 Eratum maximè adulta ætas, & plenilunium: nox autem
 perspicua & a nebulis pura: ita ut metuerent sibi, ne armo-
 rum ad lunam resplendentium fulgor custodibus ipsos pro-
 deret. cū primi iam appropinquaissent urbi, nubes à mari
 elata urbem texerunt, & loca extra eam propinqua obum-
 brarunt. Ibi tum reliqui humi desidentes, calceos exuerunt:
 quod nudi pedes neque strepitum edunt, neque facillè sa-
 buntur scalis applicati. Erginus cum septem adolescenti-
 bus

bus viatorum more vestitis ad portā occultè peruenit, por-
 tæq; custodem vnā cum reliquis excubitoribus obruncat.
 Simul & scalæ admotæ sunt, & celeriter Aratus centum vi-
 ros per eas in urbem extulit, ac reliquis ita vti possent sequi
 iussis, celeriter sublatiis scalis, per urbem cum centum istis
 ad arcem contendit, gaudens se latere, & rem prosperè suc-
 cedere existimans. Paululum progressis quatuor occurrunt
 vigilæ cum facibus: ab ijs non conspecti (nam in parte ea
 erant, quam umbra tegebat) sibi obuiam venite eos cer-
 nentes, abdunt se post muros quosdam & rudera in insidias,
 atque ita tres de ijs necant. quartus gladio caput ictus, pro-
 fugit vociferans hostes in vrbe esse. Paulo pōst & tubis signū
 est datum, & vrbs tota excitata, omnesque angiportus dis-
 currentibus repleti hominibus: multaque lumina partim
 per urbem, partim ex arce eluxerunt, ac clamor vndiq; pro-
 miscuus incertusq; exauditus. Interim Aratus per præci-
 pitia ad arcem contendens, initidō lentē & magno cum la-
 bore, cū callem non teneret, quōd is vndique inter sale-
 bras cliuorum latebat, ijsq; obumbrabatur, atq; multis fle-
 xibus ambagibusq; ad murum pertinebat. Mirum verō di-
 ctu, vt luna tum fertur discussis nubibus lumine suo viæ dif-
 ficultatem expediuisse, cumq; ad eam muri partem, quam
 petierat, peruenisset Aratus, iterū coactis nubes subiuisse,
 vmbraq; eum occultasse. Milites autem, quos ad portam &
 fanum Iunonis relictos ab Arato dixi, ccc. numero, cū &
 ipsi in urbem irrupissent, tumultu promiscuo repletam, fa-
 cibusq; collucentem, atque eundem callem inuenire,
 suorumq; vestigia assequi nequirent, confestim in vm-
 brosum quendam rupis anfractum se abdiderunt, ibiq; ma-
 gna cum animi ægritudine sese cōtinuerunt. quippe fremi-
 tus & clamor, qualis exaudiri in certaminibus talibus solet,
 ad ipsos vsque ab arce perueiebat, cū Aratus & eius ma-
 nus iam desuper ab arce telis impeterentur atq; pugnarenti
 & vox circumsonabat eos à montibus refracta, confusaq;
 & de qua vnde ederetur nō constabat. Dubitantibus, & quo-
 nam se verterent incertis, Archelaus regionum dux, cum
 magna militum caterua, tubisque & vociferatione eodem
 adcedit, contra Aratum tendens, ipsosq; præterit. In
 eum illi veluti ex insidijs coorti impetum faciunt: primis-
 que stratis, cæteros & Archelaum petterrefactos in fugam

*Acrocorin-
 thum Ara-
 tus caput.*

conijciunt, ac tantisper instant, dum ij apud urbem dissipati dilaberentur. Recenti huic victoria Etgius superuenit, annuncians Aratum cum hostibus acriter repugnantibus manum conseruisse, magnumque apud muros certamen esse, & celeriter subueniri oportere. Statim duci se iusserunt, interque eundem clamore socios confirmarunt, auxilio se eis venire indicantes: arma etiam ad plenam lunam refulgentia, plura hostibus ob agminis longitudinem videbantur, & vociferatio per noctem resonans à pluribus quàm erat edi putabatur. Tandem iunctis viribus facto impetu hostes loco pellunt, arceque superiores euadunt, eamque iam albente cœlo occupant. Sol statim confecto negotio illuxit, simulque Sicyone profecta reliqua pars copiarum aderat, portis eos accipientibus promptè Corinthijs, & regios comprehendentibus. Cùm tuta iam viderentur omnia, ab arce in theatrum descendit, immensa confluyente multitudine hominum, partim conspectu eius, partim orationem, qua compellaturus erat Corinthios, desiderantium. Ab utraque parte transitus constitutis Achæis, è scena in medium progressus est, thoracem indurus, vultuque ita ob laborem & vigiliis mutato, vt læticiam eius exultationemque corporis defatigati grauitas occultaret. Cùm officij causa homines effusè prodeunte ipso accurrerent, hasta in dextrâ manum sumpta, corporeque non nihil ea suffulto, diu tacitus stetit, applausus eorum & acclamaciones excipiens, virtutem laudantium eius, & fortunam prædicantium. Vt finem fecerunt, silentiumq; tumultu composito exitit, atq; ipse sese collegit, orationem de Achæis rei gestæ consentaneam habuit, Corinthijsq; persuasit, vti se Achæis adiungerent: clauasque eis portarum reddidit, tunc primum à Philippi arate in eorum potestatem reuersas. De Antigoni ducibus Archelaum cum cepisset, dimisit: Theophrattum autem discedere nolentem necauit. Persæus arce capta Cenchreas perfugerat. is postea temporis fertur in ocio degens cuidam dicenti, sibi solum sapientem videri ducem esse, respondisse: Per Deos mihi quoque aliquando ex omnibus Zenonis decretis id maximè probatum fuit: nunc à Sicyonio adolescente correctus, sententiam mutauit. Hoc de Persæo complures narrant. Porro Aratus statim Heræum (sancti Iunonis Latine dixeris) & Lechæum in suam potestatem

*Corinthes
Achæis
addita.*

tem redegit, xxv. nauibus regiis potitus est, equos quingentos, & Syros cccc. vendidit. Acrocorinthum Achæi ccc. militibus grauis armaturæ, canibus quinquaginta, totidemq; eorum custodibus tenuerunt. Romani quidem Philopœmenem admirantes, postremum Græcorum appellauerunt: iudicantes post eum nullam præclaram rem apud Græcos gestam. Ego autem hoc Arati facinus in Græcia vltimum nouissimumq; fuisse haud dubitem dicere: & cum ob audaciam eius qui perpetravit; tum ob successum præclarissimis posse comparari. quod manifestum est ex iis, quæ statim sunt consecuta. Nam & Megarenses facta ab Antigono defectione Arato se coniunxerunt, & Trœzenii vnâ cum Epidauriis se ad Achæorum rempub. aggregauerunt: *adictæ. Vrbes aliæ* primamque suam expeditionem in Atticam fecit Aratus: & traiecit in Salaminam militibus, prædam ex insula egit, Achæorum viribus, tanquam ex carcere liberatis, ad omnia quæ instituisse vtens. Eos qui liberi capti erant, Atheniensibus nullo redemptionis accepto premio dimisit, occasiones eis deficiendi suppeditâs. Ptolemæum socium Achæorum adsciuit ea conditione, vt is terra marique dux belli esset. Tanta autem fuit Arati apud Achæos potentia, vt si non liceret quotannis, alternis saltem annis prætorem cum crearent: interim tamen semper omnia ipsius arbitrio acta sint. videbant enim eum non diuitias, non gloriam, non auitiam regis, non suæ patriæ cōmodum, non quicquam aliud Achæorum incrementis antiquius habere. Existimabat autem vrbes singulatim imbecilles mutuo seruari, tanquam illigatas commodo publico. ac quemadmodum membra corporis viuientia & conspirantia propterea, quod inuicem annata sibi hærent, si quod eorum auellatur & à cæteris separetur, non alitur amplius, sed tabescit: ita vrbes censebat ab iis, quæ rempub. diuellerent, perdi, augeri autem vnâ ab alia & omnes mutuo, cum veluti magni alicuius corporis partes communem haberent procurationem. Proinde videns præcipuos quosque vicinorum sua vti libertate & legibus, ideoque indignè ferens Argos in virtute agere, tyrannum eorum Aristomachum interficere per insidias instituit: cum vt libertatem ei vrbi, tanquam educationis suæ præmium, redderet, tum vt eam Achæorum reip. adiungeret. Inuenti sunt qui id facinus auderent:

t t t 5 quorum

*Argorum
liberando-
rum cond-
itio.*

quorum principes erant Æschylus & Charimenes vates, gladiis tamen destituebantur, quod eos parare prohibitum erat, & si quis gladium haberet, ei tyrannus grauem multam indixerat. Itaque Aratus Corinthi paruos piones confici iussit, inque clutellas insuit, easque iumentis quædam vilia vehentibus impedimenta imposuit, atque ita Argos misit. Cum autem Charimenes quendam facinoris socium adsciuisset, Æschylus indignatus, spreto eo facinus ipse aggressus cū suis est. quod sentiens ille, & iritatus, iam ad necandum tyrannum contendentes prodidit: atque plerique horum ex foro profugerunt, Corinthumque perueniunt. Veruntamen paulo post Aristomachus à seruis necatur tyrannidē Aristippus flagitiosior priore tyrannus occupat. Aratus cum Achæis, quotquot militari ætate prælo erant, celeriter Argos profectus est, sperans se Argiuos ad opem sibi tyranno opprimēdo ferendam promptos inuenturum: cū verò plerique eorum à seruitute, quam consuetudo familiarem ipsi effecerat, non abhorrent, neque ad eum quisquam deficeret, recessit nulla re confecta, nisi quod Achæos crimini ei obnoxios reddiderat, q̃ in pace bellum mouissent. Accusauit eos eo nomine Aristippus apud Mantinenses, & reos Arato absente peregit, estque illis lis triginta minis æstimata. Aratum verò Aristippus & odio habens & metuens, per insidias necare intendit, adiuvante eum conatum Antigono rege: & vbiq̃ prope modum erant qui id agerent, occasionemque caperent. Enimverò nulla melior neque tutior principi esse potest custodia, quàm vera & constans subditorum beneuolentia: cū enim adsueuerint plerique & potentes non principem, sed principi suo metuere, multis ille oculis videt, multis auribus audit, præsentitque ea quæ aguntur. Itaque hoc loco parumper ab instituto sermone digrediar, Aristippique rationem viuendi exponam, quam ei tam multis ritualibus expetita illa tyrannis, & beati famosi que regni maiestas parauit. Quippe is, qui Antigonom sibi societate iunctū haberet, multosq̃ custodiendi corporis sui causa aleret, nullum inimicorum viuentem in vrbē reliquisset: stipatores quidem suos & custodes foris in vestibulo stationem habere iubebat, famulos simul atque cœnasset vniuersos exigens, & interiorem domum conclu-

*Tyranni
miseria.*

dens:

dens: ipse cum sua amasia in coenaculum editius ostio pensili clausum subibat, supra quod lecto collocato somnum capiebat, qualem ab ita perturbato ac meticuloso capi par erat. scalani mater amasiæ remouebat, inque alio conclauis includebat: luce facta iterum apponebat, & admirabilem illum tyrannum deuocabat, serpentis instar ex specu prorrepentem. Et verò Aratus qui non vi & armis, sed legitimum virtute & perpetuum sibi parauerat imperium, in toga aut qualibet chlamyde obambulans, cum quidem omnium tyrannorum manifestum se hostem profiteretur, nobilissimum inter Græcos genus in hunc usque diem propagauit. Eorum autem qui arces occupauerunt, stipatores aluerunt, defendendi que sui corporis causa, portas, arma, & cataractas obiecerunt, pauci leporum instar violentam mortem effugerunt: domus autem, genus, aut sepulcrum honore affectum aliquo, nullius illorum extat. Sæpenumero Aratus & occultè & palam aggressus Argos occupare, & Aristippum excindere, successu frustratus est. Semel etiam scalis applicatis, audacter in murum paucis comitatus euasit, custodesque occurrentes obruncauit. die autem facta, cum vndique à tyranno peteretur, Argiuis, quasi non pro ipsorum libertate pugnaretur, sed in Nemeo certamine iudices ac præmiorum distributores sederent, iustos se & æquos spectatores eorum quæ gerebantur alto in ocio præbentibus, fortiter pugnans, lancea comminus femur transfadigitur: locum tamen, in quo constiterat, obtinuit, neque ante noctem villo insultu hostium pelli potuit. Quod si noctem quoque eum laborem sustinuisset, potius eo quod petebat fuisset: iam enim fugam tyrannus parabat, ac multa suorum bonorum ad mare præmittebat. nunc Aratus nemine id renunciante, aqua deficiente, & cum ipsum vulnus inutilem rebus gerendis fecisset, retrò suos abduxit. Desperata ergo hac ratione, aperte cum exercitu in Argolicam irrupit, eamque vastauit. Ad Charetem autem fluuium acriter cum Aristippo commissa pugna, vitio ei datum est, quòd proelium deferuisset, victoriamque prodidisset. Cum enim Achæorum exercitus altera pars haud dubiè hostibus superior esset, eosque persequendo procul processisset: ipse non tam pulsus à sua parte, quam victoriæ diffidens & metuens, perturbatus in castra rediit. Cæteris autem ab insequendo hoste

Arati peccatum.

hoste reuersis, & iniquè ferentibus quòd cum ipsi hostem
 pulissent, multoque plures de iis strauissent, quàm suorum
 amisissent, passi tamen essent vt victi de victoribus tro-
 phæum statuerent: motus verecundia statuit denuò de tro-
 phæo pugna decernere: vnàque die intermissa, rursum in
 aciem suos eduxit sed cum hostes numero auctos sensisset,
 & audacius resistere, congredi nō ausus, discessit, cadaueri-
 bus ex pacto receptis. Hunc suum errorem Aratus cum
 peritiā ciuili, & gratia in alloquendo populo correxisset,
 Cleonas Achæis adiunxit, Nemeumque certamen Cleonis 10
 celebrauit, magis patrium his, magisque deberi quàm al-
 teris sentiens. Celebrauerunt idem certamen etiam Argi-
 ui: ac tum primum securitas & libertas certatoribus anti-
 quitus concessa, violata est, Achæis omnes, quoscumque
 Argis certasse comperissent, per suam ditionem profici-
 scentes vendentibus tanquam hostes. tam acre & implaca-
 bile erat tyrannorum odium in animo Arati. Paulo post
 cum inaudiuisset Aristippum Cleonis insidiari, se tamen
 Corinthi agentem metuere: edicto proposito milites con-
 traxit, iussosque multorum dierum cibaria secum ferre, 20
 Cenchreas deduxit: in fraudem inducendi Aristippi causa,
 vt is tanquam eo absente Cleonas adoriretur. Neque Ara-
 tum spes fefellit. Statim enim cum exercitu Argis profe-
 ctus Aristippus Cleonas petiit. Aratus autem iam tenebris
 obortis Corinthum reuersus, itineribus per interualla 25
 custodiis munitis Achæos tanto ordine, celeritate, atque
 alacritate duxit, vt non modò inter proficiscendum, sed &
 noctu intrantes Cleonas, & ad prælium instructi, Aristip-
 pum fallerent. Summo manè portis apertis classicum ceci-
 nit, atque cum cursu & vociferatione impetu facto hostes 30
 fudit, fugientibusque institit, eà maximè quā fugere tyrannum
 suspicabatur, locis istis multa diuerticula habenti-
 bus. Persecutus autem est hostem Mycenæ vsque ibi Ari-
 stippus à Crete quodam vt Dinias refert, nomine Tragi-
 fco, deprehensus necatur, amissis suorum plusquam M.D. 35
 viris. Tam splēdida potitus victoria Aratus, Argos tamen
 neque cepit, neque liberauit: Ægias enim & Aristomachus
 minor cum exercitu regio irruerant eò, & rerum pote-
 statem occupauerant. Magnam quidē partem cauillorum
 disteriorumque & scurrilium insectationum, quibus eum
 adula-

Strategema.

- adulatores tyrannorum traducebant, refutauit: qui in gratiam dominorum discurrere solebant duci Achæorum tempore prælii aluum conturbare, vertiginem ei & grauem soporem oboriri simul atque tubæ sonitum exaudiuisset: itaque ut primum aciem instruxisset, & tesseram dedisset, percontari solitum centuriones: ecquid sua præsentia opus foret, iacta iam alea: atque ita digredientem quam longissimè, euentum pugnæ expectare. Hæc quidem ita obtinuit opinio, ut philosophi etiam in scholis disputantes, tremore cordis & mutatio coloris præsentis periculo timidorum sit, aut cuiusdam intemperiei in corpore, & frigiditatis: semper Aratum adduxerint exempli loco, quod ei, quanquam præclaro duci, tamen ea semper in obeundis certaminibus accidissent. Aristippo cæso Aratus statim Lysiadæ insidias *Lysiadæ* struxit, Megalopolis patriæ suæ tyranno. Erat is Lysiadæ *tyrannide* homo minimè prauo ingenio, aut à studio laudis alieno: *se abdicat* neque, ut plerique alii tyranni, intemperantia eum & auaricia ad patriæ inferendam eam iniuriam impulerat: sed iuuenis adhuc gloriæ amore excitatus, imprudenter admissis in animum suum altis spiritibus plenum inanibus & falsis de tyrannide sermonibus, occupata tyrannide statim ex eius incommodis maximas ceperat molestias. Itaque tum & Arati felicitatem atque gloriam suspiciens, & eum sibi insidiæmet metuens, pulcherrimam mutationem aggressus est, qua cum se ipsum ab odio, metu, præsidio, stipatoribusque liberaret, tum de patria bene mereretur. Accito namque Arato, imperio se abdicauit, urbemque Achæorum reipublice adiunxit. Propterea magni eum facientes Achæi, prætorem delegerunt. Atque is statim conatus gloriam Arati superare, cum alia multa non necessaria suscepit negocia, tum expeditionem contra Lacedæmonios indixit. Aratus autem cum ei repugnaret, inuidia adductus id facere videbatur. & bis Lysiadæ prætor Achæorum creatus est, palam refragante Arato, eumque magistratum transferre ad alium sagatente. imperabat autem alternis (ut dictum est) annis. Vtique ad tertiam præturam Lysiadæ in gratia fuit, alternis cum Arato imperans. cæterum ut apertas contra eum suscepit inimicitias, ac sæpius apud Achæos accusauit, abiectus ab his est, quod videbatur fictis moribus aduersus veram & sinceram virtutem contendere, & quemadmodum

cuculo,

*Bellum
Aetolicū.*

cuculo, Æsopus ait, interroganti ex paruis auriculis, cur se
fugerent, responsum ab iis esse: Quod olim eum accipi-
trem futurum putarent: ita Lysidem videtur suspicio
quædam à tyrannide consecuta fidem mutationi eius de-
rogasse. Ab Ætolico etiam bello gloriam Aratus repor-
tauit. Etenim cum Achæi pugna decertare ante Megari-
cam cum Ætolis vellent, rexque Spartanorum Agis cum
exercitu superueniens ad pugnam prouocaret: ipse repu-
gnans ei sententiæ, multa conuicia, multas timiditatis &
molliciei exprobrationes, multas sannas perferens, ob spe-
ciem turpitudinis dimoueri se de fano & vili suo consilio
non est passus: concessitque hostibus vt citra prælium
Gerania monte superato in Peloponnesum intrarent. Sed
cum iidem subito Pellenem occupassent, nequaquam eas-
dem rationes secutus, neque mora vlla interposita dum
omnes contraheret copias, statim cum iis qui ad manum
erant aduersus hostem contendit, in ipsa victoria propter
ordinis neglectiorem & libidinem imbecillissimum. Nam
& milites per domos dispersi, de præda digladiabantur,
seque mutuo pellebant: & duces ac centuriones circumi-
bant, filias Pellenæorum atque vxores rapientes, suasque
galeas iis imponebant, vt nemo alius eas raperet, sed galeæ
singularum dominos indicarent. Hæc illis agentibus, subi-
to annunciatum Aratum adesse: & terrore, qualem par erat
sequi tantam confusionem, exorto, priusquam ad omnes
nuncius periculi perueniret, iam ij, qui apud portas &
suburbia Achæis se obiecerant, victi fugatique retrò cur-
sum tendebant, cæterosque iam agmen facientes & subue-
nire parantes perturbabant. Eo in tumultu vna de captiuis,
filia Epigethis viri illustis, forma & statura corporis exi-
mia, fortè tum in fano Dianæ sedebat, quod eam delecto-
rum milium præfectus collocauerat, sibi prædæ ductam,
suaque galea insignem. Ea subito ad tumultum ex fano pro-
currens, cum ante fores adstitisset templi, & in pugnantem
inspexisset, capiti impositam gestans galeam tribus cristis
ornatam: cum ipsis ciuibz spectaculum diuinum visa fuit,
tum hostes diuinitus obiectum spectrum cernere putantes
terrore & consternatione impleuit, animumque repugnan-
di omnem excussit. Pellenæi quidem affirmant deæ simu-
lacrum reliquo tempore intactum stare: cum verò ab an-
tistita

*Diana
Pellenæa.*

tistita efferatur, neminem cōtrā intueri, sed omnes se auer-
 tere. non enim modò hominibus spectatu difficile esse ac
 terribile: sed arboribus frugibusque, quā gestetur, sterilita-
 tem inferre, & abortus. id simulacrum tum antistitam pro-
 tulisse, eiusque faciem identidem obuertisse Ætolis, itaq;
 eos ad vecordiam & stuporem redēgisse. Nihil tale in suis
 commentariis Aratus commemorat: sed ait se Ætolos in
 fugam cōiectos in urbem ipsam Pellenem insecutum. cæs-
 sis D.C.C. ex ea profligasse. Inter maximas res gestas id factū
 10 celebratū fuit: & Timanthes pictor artificiosè expressum
 ob oculos posuit. Cæterum multis populis atque principi-
 bus aduersus Achæos conspirantibus statim in eo fuit Ara-
 tus, vt cum Ætolis amicitiam iungeret: vsusque in eare
 Pantaleontis, qui largiter apud eos poterat, opera, non pa-
 15 cem modò, sed & societatem Achæis cum Ætolis compo-
 suit. Athenienses autem liberare cupiens, malè audiuit a-
 pud suos, quòd, cū ipsi inducias cum Macedonibus pacti
 essent, Piræum occupare conatus esset. Id crimen ipse in
 commentariis suis à se amolitur: & in Erginum, quo vsus
 20 erat in Acrocorintho occupando, confert, eum suo iniussu
 perhibet Piræum tentasse, scalisque attritis cū fugeret
 & ab hostibus vrgeretur, continenter Aratum nomina-
 tim inelamasse, tanquam præsentem, atque ita deceptis
 hostibus effugisse. Verū hæc excusatio probabilis non
 25 videtur. Neque enim veri similitudinem habet hoc, Ergi-
 num hominem Syrum atque priuatū tantam rem cona-
 turum fuisse, nisi Aratum ducem habuisset, ab eoque au-
 xilium, & occasionem rei tentatæ accepisset. Et ostendit
 hoc ipse Aratus, non bis aut ter, sed sæpius, perinde atq; ij
 30 quibus res in amore minus secundæ sunt, Piræum aggres-
 sus, neque ob infelicem successum defatigatus, sed eo ipso,
 quòd parum à potiundo eo abfuisse, animū confirmans,
 aliquando etiam per campum Thriasium fugiens crus ita
 afflixit, vt multis sectionibus curatus, lectica aliquandiu
 35 vectus expeditiones obiuertit. Antigono mortuo, cū ad
 Demetrium regnum rediisset, maiore adhuc studio Athe-
 nas occupare conatus est, omnino spretis Macedonibus.
 Iraque cū à Bithone Demetrii duce apud Phylaciā
 pugna esset victus: rumorque increbuisse partim cap-
 tum, partim cæsum esse: Diogenes Piræci præsidio præfe-
 ctus,

*Athenas
liberat.*

ctus, missis Corinthum literis, ea vrbe Achæos cedere, quoniam mortuus esset Aratus, iussit. Fortè tum aderat Corinthi Aratus, cum literæ illæ allatæ sunt: & legati à Diogene, risu iocisque exagitati discesserunt. Ipse etiam rex nauim ex Macedonia misit, qua ad se victus Aratus adueheretur. Et Athenienses nihil leuissimæ adulationis reliquum sibi facientes, vt primùm de obitu Arati renunciatum est, coronas gestarunt. Itaque is iritatus, statim in Atticam facta impressione, vsq; ad Academiam processit: persuaderi tamèn sibi passus est, vt à maleficio abstineret. Ergo Athenienses virtute eius perspecta, cum Demetrio mortuo libertatem appeterent, eum acciuerunt. Aratus verò, tametsi & alius tum prætor Achæorum erat, & ipse diuturno morbo conficere ac decumberet: tamen lætica còaductus est, Diogeni; præfæto præsidii persuasit, vt acceptis talentis (horum viginti Aratus ipse vrbi largitus est) Piræcum, Munychiam, Salaminam, & Sunium Atheniensibus redderet. Statim ex eo Æginetæ, atque Hermionenses, & magna pars Arcadiæ se Achæis adiunxerunt: & cum Macedones bella quædam finitima occupatos detinerent, Ætoli autem Achæorum socii essent, magnopere tum aucta est horum potentia. Porro Aratus cum in pristino suo proposito perscicendo perseueraret, tyrannidem Argis in vicinia superstitè iniquè ferens, missis internunciis Aristomachum hortatus est, libertatem Argis restitueret, Achæisq; urbem adiungeret, exemploq; Lysiadis mallet tantæ gentis cum laude & honore dux, quàm vnus vrbis inuisus & periculis expositus tyrannus esse. Obtemperante Aristomachò, & petente vt talenta sibi Aratus mitteret, quibus militibus suis satis faceret, eosq; dimitteret: pecunia iam comparata, Lysia des adhuc præturam gerens, suumq; id apud Achæos videri factum cupiens, Aratum, vt implacabili in tyrannos odio flagrantem, apud Aristomachum calumniatus est, persuasitque vt sibi rem totam committeret, atque ita hominem ad Achæos adduxit. Quo quidem tempore præcipuè Achæorum consiliani suam erga Aratum benevolentiam fidemque declararunt. Cum enim is iratus contradiceret, Aristomachum repudiarunt: rursus eo in alteram petrecto sententiam, eamque coràm defendente statim omnia libenti animo decreuerunt, Argiuosque & Philiasios

fios in ciuitatem suam receperunt, ipsumq; insequenti anno Aristomachum prætorē creauerunt. Aristomachus cum suam Achæis operam probaret, inque Laconicam vellet irumpere, Aratum Athenis ad se vocauit. Verum hic per literas eam expeditionem dissuasit, quod Achæos committere cum Cleomene audaci homine, & subitis incrementis elato nolēbat: cum tamen cupiditatem eius inhibere nequireret, venit, sociūq; ei se addidit. Cum quidem apud Pallanrium Cleomene occurrente pugnam committere Aristomachum prohibens, à Lysia de est accusatus: & in cerramen cum eo de prætura descendens, suffragiis superauit, & prætor duodecimum factus est. Eo in bello apud Lyceum victus à Cleomene fugit: noctūque vagatus, cum perisse crederetur, multusque de eius interitu rumor ad Græcos diffi-

15 pareretur: collectis ad se militibus, non contentus se incolumem discedere posse, sed in rem suam præclare versa occasione, nemine quicquam tale expectante, subito Mantinenses Cleomeni confederatos adortus, urbem cepit, præsidium imposuit, inquilinos ciuitate donauit: denique id,

20 quod victores haud facile obtinuisent, victis Achæis concessit. Rursum Lacedæmoniis Megalopolim exercitu petentibus, auxilio sociis profectus, ansam prælii captanti Cleomeni dare noluit, Megalopolitanosque manum conferere cupientes inhibuit. cum neq; aliās ad decernendum

25 acienatura esset aptus, & tunc militum numero hostib. impar, animo iam elanguescente & ambitione imminuta audaci iuueni opponeretur: & gloriam, quam ille nouam audacia sua parauerat, sibi iampridem partam cautione conseruandam existimaret. Itaque cum leuis armaturæ milites

30 excursione facta Spartanos vsque ad castra repulissent, & apud tentoria dispersi essent: ne sic quidem suos eduxit, sed in medio conualle occupata continuit. Lysiaes autem indignissimè ea quæ agebantur ferens, Aratumque culpans, equites ad se vocauit, ipse persequi fugientes hostes cupiens,

35 neque proderet victoriam, sed ipse pro patria sua propugnare. Multis ad eum bonisque viris confluentibus, audacter dextrum hostium cornu inuast, idque pulsum insecutus est: iræ autem ambitionique incautiùs indulgens, dum fugientibus instat, in loca pertractus est obliqua, arboribusque consitis & amplis fossis plena. ibi Cleomenes

*Bellū cum
Cleomene.*

cum adortus, præclare pugnante, pulcherrimumque ce-
 tamen ante portas patriæ obeuntem interfecit. Reliqui in
 phalangem confugientes, militibus grauis armaturæ con-
 turbatis totum exercitum victoriæ impotem fecerunt. Gra-
 uiter autem crimini datum est Arato, quod Lyfiadem vi-
 debatur proieciſſe: Achæisquæ irato animo diſcedenti-
 bus coactus eſt eos Ægium ſequi. ibi conſilio habito, de-
 cretum eſt, ne ei pecunia daretur aut milites alerentur, ſed
 ſi veller, ſuis ipſe ſumptibus belligeraret. Ea ignominia
 motus cum ſtatiſſet illicd ſigillum publicum tradere, & 10
 prætura ſe abdicare: tamen ſuo uſus conſilio ſuſtinuit: &
 ad Orchomenum ducto exercitu, cum Megiſtonoo Cleo-
 menis vitrico conſiſxit, & trecentis hoſtium cæſis, ipſum
 Megiſtonoum viuum in poteſtatem ſuam redegit. Solitus
 autem alternis annis præturam gerere, cum ordo ipſum 15
 poſceret vocatus, eiurauit, & Timoxenus prætor eſt crea-
 tus. Equidem iudicatum eſt eum cauſam eiurationis haud
 ſatis probabilem præendiſſe, iram aduerſus populum: cum
 re vera deterritus periculis Achæos circumſtantibus fue-
 rit. Non enim, vt antè, paulatim Cleomenes eos inuade- 20
 bat, neque iam ciuiles magiſtratus obibat: ſed, cum occi-
 ſis ephoris, agrisque diſtiſis, multisque inquilinis in ciui-
 tatem cooptatis potentiam nulli iudicio obuoxiam obti-
 neret, ſtatim Achæos inuadebat, principatūque ſibi in
 eos poſtulabat. Vitio ira que dant Arato, quod rebus multo 25
 æſtu grauique tempeſtate iactatis, veluti clauum gubernar-
 tor diſmiſerit, alijsque conceſſerit: & eo tempore, quo vel in-
 uitis præſſe, rem publicamque ſeruare oportuiſſet, de rebus
 Achæorum deſperauerit. Exiſtimant etiam, debuiffe eum
 potius concedere Cleomeni principatum, quàm vt rursus 30
 præſidijs Macedonicis barbariem Græciæ inueheret, aut
 Acrocorinthum Illyticis & Gallicis armis impleteret: aut eos,
 quos ipſe artibus ſuis conſilijsque oppugnaret, inq; com-
 mentarijs conuicijs laceraret crebris, iam ſub honeſto ſo-
 ciorum nomine dominos ciuitatibus imponeret. Quodd ſi 35
 omnino Cleomenes iniuſtus fuerit, atque tyrannicus ta-
 men Heraclidam genere, patria Spartanum fuiſſe. & qui-
 dem iis, qui rationem aliquam Græcæ nobilitatis haberet,
 Spartanorum obſcuriſſimum potiùs, quàm primum inter
 Macedonas ducem deligendum fuiſſe. Iam Cleomenem ita
 princi-

*Victoria
Arati.*

*Arati re-
prehenſio.*

principatū in Achæos petiisse, vt eius honoris ac tituli gratia multis se beneficiis vrbes eorum affecturum præ se tulerit. Antigonum terra mariq; ducē designatum, nō prius annuisse, quam præmij loco ei Acrocorinthus promitteretur.
 5 imitatumq; scilicet in eo venatorē Æsopicum, neque prius 12 Achæis orantibus, & per legatos ad decreta ei se submittentib. ducem sese imposuisse, quā datis obsidibus ij & accepto præsidio tāquam frænum ferre didicissent. At verò Aratus nihil nō dicit, vt excusationem necessitatis afferat. Et
 10 Polybius scribit Aratum multo antè quā eō necessitatis res redirent, ab audacia Cleomenis rebus suorum metuentem occulta cum Antigono agitasse colloquia, ac Megalopolitanos subornasse, qui ab Achæis peterent, vt ij auxilium Antigoni implorarent. nam Megalopolitani maximè o-
 15 mnium eo bello infestabatur, Cleomene res eorum agente ac ferente. Eadem his de rebus Phylarchus retulit, qui, nisi Polybius ad stipularetur, haud sanè video vt fidem mereatur. Etenim quoties mentio Cleomenis incidit, præ fauore erga eum quasi extra se raptus videtur, & tanquam in iudicio hunc vbiq; defendit, illum criminatur. Achæis quidem
 20 Mantinea iterum à Cleomene erepta est: & victi ab eodem apud Hecatobæum magno prælio, ita animis ceciderunt, vt statim Cleomeni imperium in se tradere cogitarēt, eūque propterea Argos vocarent. Aratus vt eum venire sensit,
 25 & iam apud Lernam cum copiis esset, metuens rebus suis legatos misit, qui peterent vt eum c. c. tantum viris ad suos amicos sociosque veniret: aut si diffideret, obsides acciperet. Cleomenes rideri se ab eo & deludi dicens, retrò abiit, missa ad Achæos epistola, criminib. & calumniis Arato in-
 30 tentatis plena. Scripsit & hic contra Cleomenem epistolas, mutuōq; sibi conuicantes vsq; ad nuptiarum etiā & mulierum exprobrationes processerunt. Secundū hæc missō præcone qui bellum Achæis indiceret, Cleomenes Sicyonem adortus proditione propè cepit. Inde profectus Pellenem
 35 inuasit, & duce Achæorū profugiente occupauit, paulo post Phencū cepit, & Pentelēū: statim quoq; Argiui ei accesserūt, & Phliasij præsidium acceperunt. Omnino aut Achæis nihil eorum, quæ bello antè sibi adiecerant, fidum certūque erat: magnisq; tumultib. Aratus agitabatur, cōcussam vidēs Peloponnesum, vrbsq; passim à nouarum rerum studiosis

ad defectionem impelli. nihil enim præfenti ftatu conten-
tum videbat: cùm multi etiam ipforum Sicyoniorũ & Co-
rinthiorum deprehendi eſſent cum Cleomene colloquia a-
giſſet. Aduerſus eos Aratus libera poteflate armatus, quos
in Sicyonia corruptos reperit, eos necari iuſſit: Corinthi
autem etiam inquirere & punire fontes aggreſſus multitu-
dinem iam laborantem, & Achæorum rempublicam ini-
quẽ ferentem exaſperauit. Itaque factò in Apollinis tem-
plũ cõcuſu, eò Aratum aduocãt, vt vel occiderẽt, vel capti-
uum detinerent ante defectionem. Venit eò Aratus, ipſe 10
ſuũ equũ trahens, tanquam nõn diffidens ipſis, neq; lini-
ſtri quicquam ſuſpicans. multis verdẽ exilientibus & cõiucia
ei facientibus, cõſtanti vultu & lemi ſermone cõſidere eos
iuſſit, neq; ita cõfuſẽ vociferari, ſed expectare, dum reliqui
etiam intrarent: ſimũq; pedetentim de ſano reſceſſit, quaſi 15
equi alicui tradendi cauſa. itaq; ſe ſubtrahens, obuĩã factos
Corinthios placidẽ cõpellans, & in ædem Apollinis ire iu-
bens, vt nemine obſeruante propẽ ad arcem peruenit, in e-
quũ inſiluit, Cleopatrocq; præſidij arcis præfecto mandãs,
vt eam accuratẽ cuſtodiret, Sicyonem contendit, triginta 20
omnino comitatus militibus: ceteri enim deſeruierãt eum,
& in iunere diſſuxerant. Corinthij paulo pòſt auſugiffe A-
ratum cõperientes, fruſtrãq; inſecuti, Cleomenem accer-
ſunt, eiq; urbem tradunt: non tanti acceſſionem eius urbis,
13 quanti iacturam elãpſi Arati facienti. Proinde adiungenti- 25
bus ſe ei iis etiam, qui regionem Acten dictam incolunt, vr-
bẽs; tradentibus, Acrocorinthum vallo munitionib; ſq;
clauſit. Ad Aratum autẽ multitudo Achæorum Sicyonem
conuenit, & in concione imperator cum plena poteflate
creatus, ſtipitatores ſibi ex ſuis ciuib; delegit. Annos iam 30
xxx i i i. temp. Achæorum adminiſtrãt, ac potẽtia & glo-
ria primũ inter Græcos locum tenuerat: tunc verdẽ deſtitu-
tus & in maximis verſans difficultatib; patriæ velut nauſra-
gio cõcuſſe reliquias in tanto æſtu & tempeſtate ruebatur.
quippe & ab Ætolis auxiliũ petens repulſam tulit: & Athe- 35
nienſes ei cupientes, Euclides atq; Micio prohibebant. Bo-
na & domum Arati, quẽ is Corinthi habebat, Cleomenes
neq; attingit ipſe, nec paſſus eſt à quoquã violari: ſed amicis
eius & curatorib; accitis, omnia ita curare & adminiſtrare
iuſſit, vt ſe Arato rationes reddituros ſcirent. Priuatũ autẽ
Tripy-

*Callidẽ fa-
ctum.*

Tripylum, & deinde Megistonū vitricū ad eum misit, cū
 alia multa promittens, tum duodecim annua talenta, du-
 plum scilicet eius stipendij, quod à Ptolemæo quorannis
 accipiebat Aratus: ea cōditione, vt ipse Achæorū dux desi-
 gnaretur, & vnā cum iis Acrocorinthū teneret. Respōdente
 Arato, res non in sua, sed se in rerum potestate esse: rideri se
 existimās, statim in Sicyoniam irrupit, eamq; hostiliter va-
 stauit: ac per tres menses Sicyonem obsedit, perferēte Arato
 & adhuc dubitante, vtrum traderet Antigono Acrocorin-
 10 thum: aliter enim se auxilium latūrū is negabat. Interim A-
 chæi conuenerant Ægium, eōq; ad se Aratū vocabant. Erat
 sanè periculosum hoste ante Sicyonē castra habēte cō pro-
 ficisci: detinebaturq; à ciuib; negantibus se hostib; in pro-
 ximo sedentib; eum dimissurū: mulieres quoq; iam, & pue-
 15 ri, tanquam cōmunem patrem seruatoremq; flētes ample-
 ctentēsq; vt maneret orabant. Nihilominus cōsolatur eos,
 vtq; bona spe essent hortatus, ad mare equitauit, decem se-
 cum amicos ducens, & filium adolescentē: ac cōscens, que
 ibi in statione erant nauigijs, Ægium ad cōcilium peruecti
 20 sunt. Decretum ibi est, vt tradito Acrocorintho Antigonus
 vocaretur: misitq; inter reliquos obsides etiam filium suum
 Aratus. qua re Corinthij iritati, bona eius diripuerunt, do-
 mūmq; Cleomeni dono dederunt. Antigono iam cū exer-
 citu aduentante (ducebat aut xx. millia peditum Macedo-
 25 num, equites m c c c c.) Aratus ei clam hostib; ad Pagas cum
 principib; ciuitatis occurrit, haud admodum fidēs Antigo-
 no ac Macedonibus: norat enim se eos infestādo atq; ledēdo
 potentiā suam parasse, primāq; & maximā rerū à se ge-
 starū occasionem fuisse inimicitias cum superiore Antigo-
 30 no. Sed tamen summā necessitatem, tempūsq; cui seruiunt
 etiam ij qui imperare alioquin videntur, ita postulare sen-
 tiens, periculum subiit. Antigonus certior factus Aratū sibi
 obuiā venire, reliquis vulgari comitate salutat, eum pri-
 mo cōgressu perquam honorificē amplexus est: expertūsq;
 35 deinde eum virum bonū esse & cordatum, vsus est eo fami-
 liarissimē. Erat enim Aratus non in rebus modō magnis v-
 tilis, sed & per ocium regi grata eius erat suauisq;, vt nullius
 alius, cōsuetudo. Itaq; Antigonus, quanquam iuuenis, cū
 tale viri ingeniū deprehendisset, vt eius amicitiam quacun-
 que in re & quouis tempore cōmodam regi intelligeret: nō

*Antigonus
 sit Achæo-
 rum dux,*

*Arati a-
 pud cum
 gratta.*

modò Achæis, sed & Macedonibus suis prætulit. euenitque Arato id, quod diuinitus ei portentum fuerat. Ferunt enim ei haud multo antè rem sacram facienti duas bilis vesicas apparuisse in extis, vna pinguedine contentas: & aruspice respondisse, Mox futurũ, vt cum summis inimicis summam iniret amicitiam. atque id tum nihil curasse Aratum, qui alioquin haud multum fidei extispicio & vaticiniis adhiberet, potiusque suis consiliis fideret: sed postea temporis, cum res prosperè succederent, Antigonom conuiuium Corinthi præbentem, multis ad id vocatis, Aratum supra se accum- bere iussisse, ac paulo post vestem postulasse, & ex eo quasi- uisse, an ipse etiam frigeret: cumque respondisset omnino se algere, adferre pueros tapetem iussisse, eoque se & Aratum regi. ibi tum Arato eius sacrificij recordato risum obortum, cumque regi ostentum, eiusque interpretationem narraſſe. Verum hæc postea temporis euenerunt. Tunc autem Pagis iuramento societate confirmata, statim aduersus hostem contenderunt: certatũque etiam apud ipsam Corinthum est, quam & bene Cleomenes munierat, & Corinthij acriter defendebant. Interim Aristoteles Argiuus, Arati amicus, occultis missis nunciis pollicetur se ei, si militem secum adduxisset, urbem traditurum. Aratus re cum Antigono cõmunicata, ab Istmo Epidaurũ mari cũ c. d. militibus properè vectus est: & Argiui ante eius aduentum contra Cleomenis præsidium insurrexerunt, idque in arcem compulerunt. Cleomenes autem his auditis veritus ne occupatis ab hoste Argis sibi domum reuertendi occasio occluderetur, omisso Acrocorintho nocte eadem Argos contendit, inque urbem, præuentis hostibus intrauit, & nõnihil etiam eos pulit, pugna congressus: paulo post Arato accedente, & Antigono cum copiis se ostentante, Mantineam discessit. Ex eo rursus Achæis omnes se vrbes adiunxerunt, & Antigonus Acrocorinthum occupauit. Aratus autem ab Argiuis prætor creatus, persuasit eis, vt Antigono bona tyrannorum & proditorum dono darent. Ijdẽ Cenchreis Aristomachum excruciatum in mare demerferunt: idque factum magnam infamiã Arato peperit, quod tam iniuste necari passus esset hominẽ non malum, ac qui ipsi obtemperasset, urbemque Achaico fœderi cõiunxisset. Ac iam cætera quoque ei imputabantur, vt, quod Corinthus Antigono, tanquã vilis

Argi recepti.

Crimina Arato obiecta.

aliquis

aliquis pagus, dono est datus: quod Orchomenum ei diri-
 piendā, & præsidio Macedonico tenendā permiserūt: quod
 decreuerūt, ne cui regi scriberēt, aut legationē ad aliquem
 regē mitterent iniussu Antigoni: q̄ alere Macedonas, & sti-
 5 pendia illis perfoluere coacti sunt: quod sacrificia & specta-
 cula in honorem Antigoni celebrabātur, Sicyoniis eius rei
 initium præbentibus, qui Antigonum Arati hospitem vrbe
 exceperant. Horum omnium culpa vulgus Arato adscribe-
 bat, ignorans, eum traditis regi habenis, eius potentia imp-
 10 petu trahi, nihilq̄; præter vocē, cuius periculosa erat liber-
 tas, in sua habere potestate. Nā hand obscurum erat, pleraq̄;
 eorum quæ agebātur, Arato grauius displicere, quale fuit,
 q̄ Antigonus tyrannorum statuas Argis deiectas reposuit:
 & eorum, qui Acrocorinthum ceperant, stantes omnes, ex-
 15 cepta Arati, deiecerat, diu multūmq̄; sed frustra deprecato
 Arato. Iam Achæi quæ de Mantinea statuerunt, nequaquā
 Græco more statuisse iudicātur. Capta enim Antigoni ope-
 ra Mantinea, primos nobilissimōsque ciuium necauerunt,
 reliquos partim vendiderunt, partim compedibus victos
 20 in Macedoniam iniserunt, mulieres & pueros in seruitutem
 abduxerunt, pecuniāq̄; ex mancipiis partē tricentem ipsi in-
 ter se diuiserunt, bēsse Macedonibus tributo. Hæc quidem
 vltionis iure defendi possunt. quippe tamen atrox est faci-
 nus, propter iram homines cognatos ac populares ita tra-
 25 ctare: tamen necessitate urgente dulce est (vt ait Simonides)
 neq̄; durum animo tanquā æstuanti præ dolore remedium
 aliquod adhibere, eūmq̄; exatiare. Reliqua ita Aratus egit,
 vt neq̄; necessariā possit, neq̄; honestam afferre excusationem.
 Cū enim Antigonus Mantineā Argiuis dono dedis-
 30 set, iiq̄; coloniā eō ducere statuisent, præfect⁹ ei rei ab ipsis
 Aratus, decretum fecit, vt vrbs non ampli⁹ Mantinea, sed
 Antigonea appellaretur. quod quidē nomen ea adhuc reti-
 net: videturq̄; culpa Arati elegans illa Mantinea protinus
 deleta, vrbsq̄; nūc restare, quæ nomen ab iis seruet, qui Man-
 35 tineſes exciderunt. Secundū hæc Cleomenes magna pugna
 apud Sellasiā victus, relicta Sparta in Ægyptum nauigauit:
 Antigonus erga Aratum omni iustitia benignitatēq̄; vsus,
 in Macedoniam se recepit: iamque ibi morbo conflictans,
 successorem regni Philippū, nondum planē adultū, in Pelo-
 pōnesum misit, mādato vt quā maximē Arato animū ad-

*Mantineæ
 sunt cala-
 mitas.*

*Philippus
Antigono
succedit.*

*Aetoli
chaos in se
stant.*

*Arat' spre-
tus Erur-
sum cla-
tus.*

uerteret, eiusque opera cum ciuitatibus colloqueretur, & Achæis innotesceret. Atque hunc sanè Aratus acceptum ita tractauit, vt beneuolentiæ erga ipsum, summiq; rerum Achaicarum studij plenus in Macedoniam redierit. Mortuo Antigono, Aetoli contemptis Achæis, qui aliorum manibus aduerti seruari ac defendi, armis Macedonũ se commiserant, atq; in ocio & nullo ordine agebant, res Peloponnesiacas aggressi sunt: obitèq; præda ex Patrensiũ & Dymeõorum agris acta, in Messeniam irruerunt, eamq; de-
14 populati sunt. Quod indignè ferēs Aratus, Timoxenũq; eo tempore Achæorũ prætorem videns cunctari, cùm iam magistratus eius esset in exitu, ipse prætor designatus, auxilij Messeniis ferendi gratia quinq; diebus præturam antec-
15 cepit: conductisq; Achæis, quorum neq; corpora exercitationibus ad bellum parata, & animi dissoluti erant, apud Caphyas succubuit. Cùm autem eam expeditionem creditus esset nimis animosè suscepisse, ita tum elanguit, itaque spem omnem & rem dimisit, vt sæpe sibi ansam nocedi præbentes Aetolos impunè passus sit multa cum petulantia & ferocia quasi per comessationem insultare Peloponneso.
20 Itaq; rursus Achæi in Macedoniã manus intendentes, Philippum acciuerunt, sperantes ob beneuolentiam præcipuè eius erga Aratum se eum facilem mansuetũque experturum. Verũ is tum primũ calumniis aduersus Aratum Appellis & Megalæi, aliorũq; nonnullorum aulicorum per-
25 suasus, contritiæ factioni in deligendo prætore se addidit fautorem, effecitque vt ab Achæis omnino despiceretur, Aratus rem publicam negligeret, atque ita nihil vile ageretur, intelligens Philippus errorem suum, iterũ ad Aratum se con-
30 tulit, totũque se ei tradidit: cùmque res ita succederent, vt & gloria & potentia crederet, totus ab eo dependit, incrementa sua ei accepta referens. Videbatũque tum Aratus non popularis modò, sed etiam regij imperij bonus esse magister: cuius ingenium & consilia tanquam color quidam in actionibus regis clucescebant. Nam & animi moderatio Philippi in delicto Lacedæmoniorum puniendo, & colloquium cum Cretensibus, quo paucis diebus totam sibi adiunxit insulam, & in Aetolos expeditio, in qua confectæ res admirationem merentur, de Philippo obedientie, de
Arato

Arato prudentiæ opinionem excitauerunt. Eo magis inuidentes aulici, cum clandestinis calumnijs nihil proficerent, palam conuicia ei facere, impudentérq; & scurriliter rixari cum eo in conuiuijs cœperunt: semel etiam redeuntē à cœna in rectorium lapidibus impetentes persecuti sunt. quos Philippus iratus viginti talentis statim multauit: & post cum obesse rebus gerendis, turbâsq; dare viderentur, necauit. Enim uerò successu rerum elato rege, & erumpentibus *Vitis Philippi.* iam multis vehementibûsq; cupiditatibus, insita a natura *lippi.*

10 vitia adsciticiū habitum vicerūt, paulatimq; foras se proripuerunt, & ingenium regis detexere. Primum aliquandiu hospitio Aratorum vtens, occultē iunioris vxorem corru-
pit. Deinde reipublicæ administrationi aduersari cœpit, neque obscurē indicauit excussurum se Arati societatem. Ini-
15 tium simultatum res Messeniæ præbuerunt. Cum enim Messenij seditione laborarēt, Aratum eò vt opem ferret ci- *Messenio-
uitati properantem vno die præuertit Philippus: vrbemque rû seditio.*

ingressus, statim stimulos vni contra alteram factioni indidit: seorsim ex magistratibus quærens, nullâsne contra ple-
20 bem leges, & ex ducibus plebis, nullâsne contra tyrannos manus haberent. Eo modo vtrisque instigatis, magistratus compescere duces vulgi intendit. hi verò cum multitudine facto impetu, magistratus trucidauerunt, & de cæteris propè ducentos. Hoc tam atrox facinus cum edidisset Philip-
25 pus, Messeniorumque seditioni quasi flammam addidisset, superueniens Aratus haud dissimulauit indignè se id ferre, filiumq; acerbè cum Philippo exostulantem, & conuicia addentem non inhibuit. Videbatur autem iunior Aratus amator esse Philippi, ac tum inter cætera dicebat, Ne formâ
30 quidem eius sibi iam placere, sed ob id factum sibi eum omnium turpissimum videri. Huic Philippus nihil respōdit, quâquam propter iram videretur sibi non temperaturus, & dicente eo aliquoties sublatrasset. Seniore[m] autem, simulâs *Arx Messe-
niæ.*

35 nu apprehensum in Ithomatam (arx ea est Messeniorum) adduxit, Ioui ibi rem sacram factur[us], & locum contemplaturus. Est autē arx haud min[us] munita quàm Acrocorinthus: quæ si præsidio teneatur, multū in commodare vicinis, vixque omnino expugnari potest. Eò cum adscendisset, sacrisque esset operatus, ab aruspice ad se allata exta vtraque ma-

nu excipiens, Arato & Demetrio Phario monstrauit, alter-
 nis ad vtrunque inclinans, interrogansque, ecquid ea tene-
 ri a se arcem, an verò Messenijs reddi iuberet. Ibi Demetrius
 ridens, Siquidem, inquit, aruspici tibi est animus, dimittes
 arcem: sin regius, viroque cornu bouem tenebis, innuebat
 autem obscure Peloponnesum, si Philippus Acrocorintho
 Ichomatam addidisset, planè sub eius potestate, humilèmq;
 fore. Aratus cum diu tacuisset, rogatus a rege suam senten-
 tiam explicare, Multi, ait, ô rex, in Creta, magniq; montes
 ex terra enati sunt, multi in Bœotia & Phocide, tû in Aca-
 nania quoq; & mediterranei & maritimi loci mirificè mu-
 niti: quorum tu cum nullum occupâris, omnes tamen inco-
 læ vltiò imperata faciunt. quippe saxi & præcipitijs latro-
 nes inhærent: rex fidelitate suorum & fauore fortius tutus
 ve habet nihil. ista tibi Creticum mare aperuerunt, ista Pe-
 loponnesum: his tu fretus ea atate cò peruenisti, vt aliorû iâ
 dominus, aliorum dux sis. Adhuc eo loquente Philippus ex-
 tis aruspici redditis, ipsumq; Aratum manu trahens, Agedum
 igitur, inquit, eadem eamus via. subindicâs se ab eo victum,
 ac vrbe ea priuatum. Aratus verò exinde se ex aula subdu-
 cens, paulatimq; consuetudinem cum Philippo declinans,
 oratus ab eo in Epirum moliente expeditionem vt vnâ pro-
 ficisceretur, abnuit, domiq; remansit, ne eius mala facinora
 sibi ignominiam paterent. Vt verò Philippus turpiter à Ro-
 manis exutus classe, & re tota infelicitè gesta in Pelopon-
 nesum redijt, Messeniòsq; frustra aggressus fraude circum-
 uenire, palam infestauit, agrumq; eorum est populatus: om-
 nino eum auersatus est Aratus, iam etiam iniurias gynæceo
 suo illatas sentiens, molestiq; ferens, sed tamen clam filio
 habens. id enim vnum restabat, vt is de illata sibi contume-
 lia certior fieret: vlciscendi occasio non erat. Et quidem ap-
 parebat Philippum mirificè admodum esse immutatû: qui
 ex adolescente temperatè, & rege mansueto homo impurus
 & tyrannus perditissimus esset factus. verum ea nō erat mu-
 tatio nature, sed in licentia demonstratio nequitia: propter
 metum occultatè. Eam enim eius fuisse erga Aratum volun-
 tatè, quam verecundia & metus occuluerint, postea patuit.
 Nam cum eum cuperet de medio sublatum, viuo eo nō mo-
 dò regem aut tyrânnum, sed ne liberum quidem se futurum
 existimans, vi quidem abstinuit, Taurioni autè vni ducum
 amico-

amicorumq; suorum rem conficiendam occulto præcipue modo, & veneno, idq; se absente, mandauit. atq; is Taurio inita cum Arato familiaritate, venenum ei ppinauit, nō acre aut vehemens, sed quod primò calores molles in corpore, & obusam efficeret tussim, itaq; paulatim mortē afferret. Neq; id fecellit Aratum: sed q̄a detecto flagitio nihil erat effecturus, tacitus placidè id malum, veluti cōmunem alique & vsitatum morbum pertulit. tamen Cephalone, vno de suis familiarib. in cubiculo adstante, cū cruentum expuisset, vidente eo & admirante, Hæc, ait, præmia sunt amicitie regie. Ita eo Ægij extincto, quo tēpore decimumseptimum præturā gerebat, Achæisq; omni studio in id incumbētib. ut ibidem digna eius vita sepultura monumentisq; ornaretur; Sicyonij calamitatis loco ducebāt, si alibi, quā
 15 apud se ille sepeliretur itaque ab Achæis impetrarunt, ut sibi humanus concederetur. Quia autem antiqua erat lex, ne quis intra muros sepeliretur, eāq; legem magnā comitabatur superstitio: Delphos miserunt ea de re sciscitatum Pythiam. est autem ijs tale oraculum redditum:

Mors eius.

20 *Consultas Sicyon, ubi sit tumulandus Aratus?
 Fas id ubiqueq; est: adert sua gratia tumba.
 Quippe nefastus erit terra cæli & maris &
 Qui grauet heroem hunc locus, impositum & grauetur.*

Hoc allato responso cū cæteri Achæi, tum verò Sicyonij
 25 delectati sunt: mutatōq; in festiuitatem luctu, coronati albisq; induti vestib. corpus eius statim ab Ægio Sicyonem deportarunt, pæanes choris accinentes: ac loco delecto, qui omnium conspectui patēret, tanquam conditorem seruatorēq; vrbis sepeliuerunt. Loco etiā nūm est nomē Aratum. Sacrificia duo in eius honorē celebrabantur quotannis. alterum eo die, quo vrbem tyrannide liberauit: quinto
 30 scilicet die Dæsijs mensis, quem Athenienses Anthesterionē appellāt. sacrificium à salute parva Soteria nominabant: alterum eo mense peragebatur, in quem eius natalis competij se traditur. Prius sacrificiū Iouis seruatoris sacerdos auspicabatur: posterius quidā, Arati strophium non totum album, sed semipurpureum tenēs. ab histriionib. ad citharam carmina accinebātur, pompāq; puerorum & epheborum iuxta ducebat gymnasiarcha, sequente senatu, & ceteris, qui volebant, ciuib. Vt defungantur suo officio Sicyonij, adhuc
 16 quædam

quædam eorum indicia seruant ac celebrant: pleraq; in honorem Arati instituta, temporū & rerum mutationes aboleuerunt. Porro autem Aratum iuniorem scelerosus homo & iuxta iniuriosus atq; crudelis Philippus, non lethali-
 bus, sed ad infantiam redigentib. venenis de potestate mentis deturbauit: ita vt absurdos atrocēsq; impetus ad facinora horrenda caperet, resque perniciosas cum dedecore appeteret. adeoq; mors ei, quanquam iuueni & florenti, non calamitas, sed liberatio à malis & salus accidit. Præclaras autē pœnas loui hospitij amicitia q; tutori suorum scelerum dedit 10 Philippus, easque continentes. Etenim debellatus à Romanis, cum suas res eorū arbitrio permisisset, misericordia eorum Macedoniam & ad eam pertinētes regiones obtinuit, reliquis omnibus spoliatus, & nauibus, præter quinque, vniuersis: pactusq; mille talēta se soluturum, filium obfidem 15 tradidit. proinde optimos quosq; & genere proximos necans metu & odio sui cum totum impleuisset regnum, filium virtute præstatem (quod vnum ei inter tot mala bonum supererat) inuidia honoris, in quo is apud Romanos erat, interfecit: Perseo alteri filio, quem nō genuinum fuisse, sed 20 suppositicium, Gbathænio sartrice natum perhibet, regnū reliquit. De hoc Perseo triumphauit Æmilius: inq; eo successio regum ab Antigono prognatorum desijt. Arati genus Sicyone & Pellenæ in hunc vsq; diem propagatum est.

IN ARATVM ANNOTATA
 ab Interprete.

Aratum vixisse eodem tempore, quo Cleomenes Sparta rex fuit, & Antigonus Macedonia, satis ex vita Cleomenis constat. Vide omnino de eius ætate & aequalibus Poly-
 bium lib. 2. nec non de rebus eius gestis.

1 Anne suum laudet.] Prouerbiū hoc etiam in Chlidibus Erasmi exponitur. Notum est autem plerosq; cum nihil ipsi habeant proprium, quod laudem mereatur, ad paternas & auitas laudes (vti claudi ad equum) recurrere. Quasi verò ijs occini meritō non queat, Heroum filios esse notas. Extant in hanc sententiā multa graues & arguta veterum